



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Cur ædificent sepulchra Prophetarum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

ab arte medica comploratum confutur. Comp-
rauit autem Dominus per se. Nam Phariseorum pietatem, se-
pulchris de albis: quoniam nesciunt viuum sensu abominabilis
est exanguium corporum setor & spurci, sic & illorum ini-
quitas detestabilis est propter sententiam: quæ quodammodo
ipsorum animi est mortalitas, graueolenti & impuritas.
Quemadmodum enim per diuerium animam a corpore mortu-
um, seipsum, & immundum corpus est. Ita si ab anima secedat
Dei timor, ex sanguis est & maleolens & impura anima.

Vis à Deo
data reli-
quis.

Consentiunt sanctissimo martyri Augustinus con-
tra Faustum l. 2. c. 21. de Ciuit. Dei l. 8. c. 27. & l. 22. c. 8.
Chrysost. hom. 66. ad populum. Sanctorum ossa demones
sistunt. & terquunt, & vindictas ab illis soluunt sensu mis vin-
culis. Et cinis & ossa, & fenuilla inuisibiles illas potestates di-
lant. Merito igitur illa nos honoramus, ad quæ dæ-
mones. Principes, & rectores mundi tenebrarum har-
um contremiscunt. Atque inde colligimus, quanta sit
sanctorum in cælo futura potestas, quorum pulue-
res, & putredines æreæ potestatibus dominantur,
quæ nondum sentire possunt, animum autem & im-
mortalitatem extremam die recipient.

VERSUS 29. 30. 31.

*Va vobis Scribæ & Pharisei hypocri-
ta, qui edificatis sepulchra Prophe-
tarum, & ornatis monumenta ius-
torum, & dicitis. Si fuissetis in
diebus patrum nostrorum non esse-
mus socii eorum in sanguine Pro-
phetarum. Itaque testimonio estis
vobismetipsis, quia filii estis eorum
qui Prophetas occiderunt.*

QUESTIO I.

Cur edificent sepulchra Prophetarum?

§. 1. **L**audabile videtur Prophetarum & Martyrum
excitare sepulchra. Nam Mausoleis eorum
non modo defunctorum memoria colitur, sed ad im-
itationem animi excitantur: fidei professionem edi-
mus, eorum qui eos occiderunt perfidiam & cru-
delitatem detestamur.

Mirum igitur videtur Phariseos hanc ob causam
reprehendi; Præsertim cum clarè & palam protesta-
rentur non futuros se socios fuisse patribus suis in san-
guine Prophetarum. Maior est ex Luca c. 11. 48. dif-
ficultas. Profecto iustificamini, quod consentitis operibus
patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, v. s.
autem edificatis eorum sepulchra. Quomodo vero ista
coherent? Sepulchro honorare occisos, & neci con-
sentire? Chrysostomus sepulchra excitasse existimat,
ut vires animosque maiorum ostentarent. Non quia æ-
dificant, nec quia patres suos accusant, ut illi dixit: sed quanti-
am ita facientes, & ita dicentes, patres suos se condemnare si-
mulabant, cum ipsi peiora committerent. Certè si id quod
re verè ex operibus colligi debuit, non alienum est,
quod interpretatur. Domitium enim Prophetarum,
cultores Prophetarum occiderunt.

Maiores
verbo da-
munt, sa-
tis lau-
dant.

Amb. Luc. 11. Non edificatio, sed amulatio, hoc est, imi-
tatio, loco criminis estimatur. Maldonatus ideo ista dici,
quod sepulchri exstructio tam pertineat ad abolen-
dam, quam retinendam occisi memoriam: latrones
enim sepeliunt occisos, ne inueniantur. Verum est
sepulchrum esse quandam occultationem, & memo-
riæ abolendæ idoneam, qua mente Ægyptium Moses
fabulo abscondit. Non eo tamen animo sepulchra

vetera restaurabant, & noua struebant; erant enim
conspicua, & Prophetarum inscriptiones habebant.

§. 2. Mihi hæc certa sunt. Primo, eos sepulchra æ-
dificasse Prophetarum, ut pietatis amantes videren-
tur, & eorum qui occiderunt crudelitatem detestati.
Hæc enim illi profitebantur. Secundo, eodem facto
duo testatos; quorum vnum hoc loco, alterum apud
Lucam Christus exprobat. Hoc loco eos fateri se ef-
se filios eorum, qui Prophetas occiderunt, quod pla-
num est. Apud Lucam vero. Eos testificari sepul-
chrorum exstructione, quod consentiant interfecto-
ribus Prophetarum. Hoc Pharisei negabant, nec se
qui videbatur. Verum Christus ex circumstantiâ, &
animis eorum perspectis argumentum solidum ducit.
Cum seruos Dei ad vos missos occidatis, ut Ioannem
Baptistam, eos qui Euangelio credunt, Synagogæ ex-
cludatis, me occidere velitis, etiâ Lazaro quem a mor-
te suscitauit, alteram necem machinemini, idque quia
flagitia vestra reprehenduntur, quia ad Deum parè co-
lendum vocamini; certissimum est, non pietatis vos
causa exornare sepulchra Prophetarum. Si enim vo-
bis fides, religio, Dei cultus cordi esset, Prophetas vi-
uos, imo dominum Prophetarum non occideretis.
Non est verum, quod profertis, elogium; Si fuissetis
in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in san-
guine Prophetarum: iam enim estis in diebus vestris, &
tamen cæco furore duces estis in fundendo sanguine
iustorum. Hinc quidem manifesto probat, illam ex-
ornationem monumentorum, non esse pietatis indi-
cium. Sed & alterum consequitur. Illo ipso sepulchro-
rum ambizioso ornatu potius eos conuinci, ab illis
probari parentum occidentium perfidiam immanita-
tem, quam Prophetarum constantiam, & fidem. Ead-
em enim ob causas suos Prophetas, & veteres, & qui
tū vivebant, Iudæi occiderunt: Non igitur ea de cau-
sa Iliam honorabant sepulchro, ob quam Baptistam
decollabant in carcere. Christum vitia increpantem
tradunt Pilato quomodo igitur Ieremiam eadem ad-
huc damnantem scripto, scribæ monumento conde-
corant? Probant ergo factis parentum facta, dum
eadem ob causas atrocius in seruos Dei faciunt; atque
adeo in dominum, ob quas maiores in Prophetas ex-
arserunt, eademque vitia contra eos tueriunt. Facta igitur
verbis contraria erant: cum occidendo sanctos a-
lios, aliorum vero in eadem causa sepulchra ornan-
do, trophæum de omnibus statuerent. Imo si rediui-
us Iliam, aut Ieremias ea in Phariseos dixissent, quæ
olim in sui temporis Israëlitas in tonabant, non minus
in eos, quam parentes eorum fecerunt, crudeles fuisset.
Cæsar, viso Pompei abscesso capite, ingemuit.

Lacrymas non sponte cadentes

Effudit, gemitusque expressit pectore leto.

Quis credidit honori generi hoc tributum, & non
potius gaudij lacrymas fuisse; cum amicos Pompei, &
filios terræ, marique persequeretur? Et si magno Cæ-
sar eo tempore Mausoleum struxisset, cui dubium ef-
se poterat, id potius Cæsar's trophæum, & victoriæ;
quam Pompei monumentum fuisse? Sic hi quidem
verbis memoriam Prophetarum commendabant, fa-
ctis homicidis parentes laudabant.

Nec in Phariseis hoc nouum aut mirum, quotidie
in mundo agitur. Laudant Nathanaem qui David de
adulterio monuit; mirantur Eliam; qui Achabo vi-
neæ rapinam, & Nabothi necem exprobat. Ipsum
Theodosium obstupescunt, qui Ambrosio obtempe-
rarit: At si quis alicuius potentis fastum, v. s. libi-
dines, reprehendat, protinus in furorè aguntur, factu-
ri idem Nathani, Eliæ, Ambrosio; si molesti esse per-
gerent. Sanctorum mortuorum se fingunt amicos, vi-
uorum sunt hostes. Nec amici tamen illorum inno-
centia, sed silentio, quo sibi non metuunt.